



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè
proponuntur

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Provisio 8. Per Imitationem & fruitionem Domini Dei nostri quàm
familiarissimam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

fas momentum, nulla actio tua, quâ non ducas lineam similitudinis ad Christum. Scito nullam esse Christo gratiorem & gloriosiore tuam circa Christum occupationem, & cum Christo tractationem, & Christi laudationem; quàm ejus abs te imitationem, quàm tuam cum ipso perpetuam assimilationem, quàm tuam cum ipso quàm maxime genuinam similitudinem. Hoc enim unum & solum, instar omnium est obsequiorum & encomiorum, quæ Christo impendi debent & possunt à te. Hoc est Christum amare, Christum induere, Christum efformare, Christo uti, Christo uniri, Christo configi, Christo consepeliri, Christum manducare, Christum bibere, denique cum Christo esse, cum Christo vivere, cum Christo regnare, Christum esse.

PROVISIO VIII.

Per Imitationem & fruitionem Domini nostri quàm familiarissimam.

Considera incumbere etiam tibi imitationem Domini Dei tui, imitationem autem non qualem qualem, sed imitationem in perfectione, in sanctitate, in rectitudine, in justitia, in veritate, in pietate, in misericordia, in charitate, in Dei glorificatione. Imitantur quidem omnes creatura Deum tanquam conditorem suum, tanquam opera artificem à quo sunt, & habent, & possunt, & operantur ac idè ad modum sui fontis, suique Idealis Esse, artisque ipsas efficientis, & in esse operationeque conservantis, necessariò semper operantur: neque unquam ab hoc genere imitationis creaturæ possunt exerrare, cum natura & essen-

tia earum sit, sic se habere. Sed est alia DEUM imitandi ratio, per liberi arbitrii motum, scilicet juxta Rationem, & legem, & voluntatem, & ideam, & exemplum Dei.

Hæc omnia Deus impressit nobis, primum quidem in creatione, condens nos creaturas Rationales, liberas, actionumque nostrarum potentes & dominantes. Quod non minus expressè, quàm copiosè affirmat Spiritus Sanctus per Sapientem dicens. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui:* adjecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Deinde verò præter arbitrium liberum & legem, partim in naturali ratione impressam, partim etiam exteriori intimatione præceptam: adjecit lumen supernaturalis fidei per Christum revelatæ, simulque donum gratiæ ad observationem necessariæ, quâ de re Joannes Baptista testatus est dicens. *Quia lex per Moysen data est, Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.*

Ex his ergo liberæ rationis & revelatæ veritatis, quarum priorem cum natura, posteriorem cum gratia, priorem nascendo, posteriorem renascendo sortimur, ex his inquam Rationis & veritatis fontibus; confurgit in nobis, & facultas & necessitas Deum imitandi. De qua re luculenter Apostolus sic loquitur. *Estote ergo imitatores Dei, sicut Filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum*

C 3

pro

pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Quod ipsum à Christo Domino non evulgatum solum, verum & præceptum habemus. Nam cum inter alia præciperet nobis dilectionem inimicorum, atque calumniatorum, adjecit causam præcepti, dicens. *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem oriri facit super bonos & malos.* Neque hoc dixisse contentus, iterum *subdidit. Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est.* Quæ Domini gravissima sententia atque præceptio, non solum qualemcunque imitationem, sed etiam perfectam, sed in ipsa perfectione Patris caelestis, à nobis exigit, eamque in eo fundat: quia nos quidem filii, ille autem Pater est.

Est autem sine dubio omni rationi consonum, ut filii Patrem moribus referant, ejusque actiones & virtutes, suis actibus & virtutibus imitando repræsentent. Quod opus, sicut est super omnia opera nobis incumbentia ad peragendum gravissimum, sic est etiam super omnia nobis, & fructuosissimum, & simul honorificentissimum. Quid enim potest cogitari, tum gravius, tum fructuosius, tum dignius, quàm esse nos perfectos, sicut & Pater noster caelestis perfectus est? Certè sicut nihil est perfectius Deo: ipsius enim perfectio, est mensura & fons omnium aliarum perfectionum; ita ille est in moribus & actionibus suis perfectior, & major, & dignior, qui est Deo, in ejus morum & perfectionum expressione vicinior. Quod si præclarum est, tam ad fructum quàm ad laudem Sanctorum, DEI perfectiones expendere & æmulari: quanto erit fructuosius & laudabilius, Divinas perfectiones sic scrutari, ut

Matt. 5. 44.

Ibid. v. 48.

ut etiam eas assequaris, etiam induas, etiam in eas imitatione transformeris. Utile est, ex rivulis aquam petere, sed longè præstantiùs, ex fonte, aut mari ipso haurire.

His adde, quod quantitati assimilationis nostræ cum Dei perfectionibus moribusque in hac vita, responsura sit assimilatio item nostra cum Divinis beatitudinibus, beatificisque perfectionibus in illa altera. Juxta cujus assimilationis in cælo gradum, erit etiam gradus nostræ beatitudinis, nostræ beatificæ in Deum transformationis, nostræ in Divinas beatificas laudes effusionis, nostræ denique & totius universi per nos, ac propter nos perfectionis & exornationis atque exhilarationis. Unde colligi potest, quàm infatigabilem infatigabilemque curam nostram esse oporteat in Deo, per hoc vitæ tempus, in suis moribus imitando, & quàm maximè per nos & in nobis assimilando.

Confidera autem in quonam præcipuè ac ultimè consistat, quidque requirat hæc Divinarum perfectionum & morum à nobis imitatio, ut congruè, cum profectu fieri possit. Primò igitur. Opus est habere notitiam morum & perfectionum Divinarum, quas quidem nobis manifestat creatura: dicente Psalmo. *Cæli enarrant gloriam Dei.* & Apostolo. *Invisibilia Dei à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur:* sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas. Manifestat deinde Sacra Scriptura & fidei revelatâ doctrina. Utriusque hujus rei, scilicet creaturæ & Scripturæ consideratio, ducit nos in cognitionem perfectionum & morum Dei, inibi que luculenter & luculentissimè in Christi Domi-

Psal. 1. 18.

Rom. 10.

nitum persona, tum doctrina, tum operibus
elucescentium.

Secundo cognitioni & considerationi morum
ac perfectionum Dei, addenda est reflexiva qua-
dam ad nostros mores & ad operationes nostras
applicatio. Quamvis etiam nuda consideratio
morum Dei, arcana quadam & sibi propria vir-
tute eosdem mores effingit, in moribus ipsius
considerantis, si hoc diligenter assidueque fa-
ciat. Nihilominus hæc efformatio longè effica-
cior redditur, quando, ut dixi, reflexivè & pra-
cticè, moribus nostris consideratio ipsa applica-
tur. Sicut enim pictor solo intuitu Regiæ Per-
sonæ, non effingit imaginem ejus in tabula, sed
manu coloribusque opus est, sic mores Divini,
solâ consideratione sui, in cordibus moribusque
nostris non efformantur, nisi accedat practica
eorum in nobis delineatio.

Tertio. Hæc practica delineatio morum Dei
in tabella cordium & morum nostrorum, exigat
conversationem cum Deo commorationemque,
idque sive ita, ut nos apud DEUM, sive ita, ut
Deus apud nos (esto hæc in idem recidant) com-
moretur: ad quod non est opus, neque alta ca-
lorum à nobis conscendi, neque Deum, ad nos
inde descendere, neque eundem apud alias alias-
que creaturas venari, sed cum immensus sit, &
tunc ubique, tum etiam in propriis intimisque
nostris cordibus, velut in cælis sibi gratissimis
(anima enim justi, sedes est sapientiæ) conver-
setur, assuescendum omninò est nobis, ut ibi
intra nos & cum Deo converseremur, & Deum
nobiscum conversantem agnoscamus habea-
musque. Inde enim confurget.

Greg. Hom.
30. n. Evan.
tribuit Salo-
moni. Et Au-
gust. in Psal.
121. sup. 7. 27.
juxta LXX.
Aug. iterum

Conc. 1. in
Psal. 88.

Quarto

Quarto amicitia familiaritasque & convictus cum Deo mutuus, quin & assuetudo quaedam intima ad mores mutuos. Hoc autem negotium, optimè suavissimè efficacissimèque perficitur charitate, præsentia Dei memoriâ, orationis usu, quàm maximè fieri potest sine intermissione, quàm impinguet simplicissima fiducia & devotissima reverentia. Ab hisce manabit.

Quinto. Fruitio Dei utrinque valde grata, familiaris, cordialis, sapida, confidentia plena, pene dixerim assidua, certè creberrima, satians, nec tamen famem adimens, sed explendo acuens, acuendo explens. Quod ne quis miretur, aut ne etiam suspectum habeat, observo, multorum justorum errorem esse, quod semper Deum quærant & invenire laborent, ad se invitent, desiderent; neque tamen votis suis potiantur: ut ipsis videtur etiam experimento constare. Quæ res multum justos ejusmodi angit, & à profectu distrahit: Non advertentes practicè, Deum frustra & erroneè à se quæri absentem desiderarique, cum sit revera intimè illis præsens per gratiam & charitatem; cujus est evidens signum, illa ipso in desiderando, quærendo, invitando anxietas: hæc enim non esset, si ille absens esset. Est ergo intimè & amicissimè præsens, sed esse, practice ut dixi ignoratur, nec eum Anima ut sibi intimum agnoscit, neque ut præsentem tractat, amat, amplectitur, gaudet, gratias agit, oblectat; verum nihil, ut cum præsentem agit, sed tanquam de absente semper cogitat, velut longè positum requirit.

Qui error exuendus est justis, & sæpè agnoscendus, habendus, tractandusque Deus, ut

C 5

quàm

quàm maximè, intimissimè, familiarissimèque præsens, nec tantum præsens, sed etiam præsentia fructus exhibens; quorum primus præcipuusque est. Fruitio ipsa, qua & Deus fruitur Animâ, & hæc vicissim Deo. Quod fit contemplatione, hoc est de Deo, cum, & coram Deo cogitatione, deque ejus perfectionibus & attributis, moribus, operibus, beneficentiis, Essentiâ Unitrinâ. Desigendo obtutum devotum in Dei ejusdem pulchritudinem, sapientiam, admirabilitatem, majestatem, dignitatem, laudabilitatem, potentiam, justitiam, misericordiam, immensitatem, simplicitatem, veritatem. Gustando etiam ejus dulcedinem, suavitatem, appetibilitatem, familiaritatem, communicabilitatem, providentiam, præsentium. Exaltando, prædicando, laudando ejus excellentiam in operibus, in beneficiis, in perfectionibus, in Essentia, in Personis. Invitando omnium corda ad vacandum, ad gustandum, ad videndum, ad fruendum, ad inhabitandum, ad vivendum Deo, de Deo, in Deo, propter Deum, &c. Deficiendo etiam & tabescendo atque sibi pereundo, in Deum autem transmigrando, & sese (secundum voluntatem, voluntatisque cum Divina similitudinem ac unionem, non verò secundum substantiam & entitatem quæ nequit fieri) in eum transformando. Ab hac fruitione Dei existet.

Sextò: Imitatio, & assimilatio, & assumptio morum perfectionumque Dei in Anima justa & perfecta; existet autem panè sine labore connaturaliter & quidem modo perfectissimo pro statu istius vitæ. Si enim Anima Deo fruens modo prædicto in Deum transformatur, quomodo
non

non etiam in minoribus eidem assimilatur? Sicut lumini nihil similius, quàm aër illuminatus, nihil igni similius, quàm ferrum aut carbo igne candens, ita Deo nulla anima in proprietatibus moribusque similior, quàm ea, quæ in Deum transformata fruitione voluntatumque unione & confermentatione reperitur. Quapropter audeo dicere, seu quod dixi commutare, non tam à fruitione Divina existit perfecta morum DEI imitatio in Anima, quàm potius ipsa Dei fruitio, est ipsissima eaque perfectissima & consummatissima ejusdem imitatio, & assimilatio, & assimilationis flos, est fructus, est medulla.

His consideratis, tu jam tandem te circumspice & adverte, quantum sit chaos inter te, & Deum, quantum ad similitudinem & imitationem ejus morum & perfectionum desit! Et quidem attentâ conversionis tuæ ad Deum antiquitate, mediorumque & auxiliorum Divinorum abundantia, jam te omninò pridem, consummatum esse oportebat in Dei imitatione, possessoremque, domesticum, veteranum in Divina fruitione. At quia tepor, incitia, incuria, inconstantiaque tua, te ab hac felicitate dejecit, non absque innumeris & tui profectus, & Dei, totiusque cæli & universi hujus gloriæ detrimentis, ex nunc saltem, dum adhuc vita decurrit, antequam penitus excurrat, totum te huic, imitandi Dei, fruendique Deo labori infatigabiliter ac incessabiliter impende, totum te Divinâ, & imitatione, & fruitione imbue, occupa, fermenta, penetra, omnia vitæ tuæ (quoad fas) momenta, omnia, & singula opera tua, Divinarum perfectionum & morum similitudine intinge, perfice,
infor-

informa. Totus hoc age unicum atque præcipuum (tale enim revera hoc est; & est illud *Luc. 10. 41.* Christi unum necessarium. est illa Optima pars, quam elegit Maria) ut totâ mentis acie, toto voluntatis libertatisque pondere, totâ cordis affectione, semper & ubique, totâ tui, totiusque Universi substantiâ, atque Personâ, Deum & quæras & habeas & agnoscas & imiteris & fruaris. Hunc semper & ubique oculus purissimæ intentionis intueatur, hunc auris simplicissimæ obedientiæ audiat, hunc gustus devotissimæ sapientiæ degustet, hunc odoratus profusissimæ charitatis investiget, hunc tractus vividissimæ resignationis comprehendat, hunc totus tu, vicissim totum possideas, ab eoque toto, totus possidearis & tu.

PROVISIO IX.

Per debitorum, quibus plurimis obstricti sumus plenam exsolutionem.

CONSIDERA necessitari te quàm maximè ad obsequium Dei, non tantum fervens & perfectum, verùm etiam liberaliter supererogatorieque perfectum & fervens, tum alias semper, tum præsertim sub extremum vitæ, ex multitudine debitorum, quibus oneratus es, atque adeò oneratissimus, super capillos capitis tui, imò super stellas cæli & arenam maris. Decurre indicem capitum debitorum istorum, & ex eo saltem aliquam notitiam ipsorum colligere numerumque conjicere poteris, qui indiculus atque numerus, etsi aliis quoque hominibus tecum est communis, non ideò tamen te minùs solum, quàm